



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

1. Xauerij ortus, educatio, indoles, studia litterarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**



I  
DE VITA ET GESTIS  
S. FRANCISCI XAVERII  
INDORVM APOSTOLI.  
è Societate IESV,  
LIBER PRIMVS.

R T V M duxit legitimā serie , ab Regibus Nauarræ Franciscus Xauerius : hos illi atavos assignant vetera cius familiae monumenta , & iuridicē testatur Antonius Zapata Cardinalis ; patria illi Xauerium , leucas ferè sex Pampelona distans , in Pyrenæorum radicibus , quā Nauarra Hispaniam spectat . Hoc majorum ipsius meritis repensum præmium , per continuos toparchas ab annis iam inde trecentis , materna familia haereditarium tenuit : Xauerij pater Ioannes Iassus , dignitate , & stirpe nobilis ; Regi suo , Ioanni tertio , ab consiliis , & percarius : mater Maria Aspilqueta Xaueria , duplii appellatione , ex illustrissimis regni familijs duabus traducta . Quod autem Xaueriana , in matre desinebat , ne gloriosum tot sacerulis cognomen cum ea moreretur , liberorum nonnullis est additum ; quorum minimus natu Xauerius noster anno 1497. in lucem venit , paternum Iassii cognomentum alij tenere . Hunc diuino letum consilio ad inferendam in orbem alterum Christi fidem (in quem deinde iussu Pontificis ab S. Ignatio missus est ) sapientissimus artifex tanto muneri aptauit , & materno usque ab utero corpus , & animum , excipiendis venturæ gratiæ satibus sic attemperauit , ut Apostolico cui destinabatur ministerio par esset . Indolem inseuit moderatissimam , suique aduersus perturbationes apprimè comparem ; ad hæc magnitudinem animi nobilis , & erecti , spiritus generosus , & in quaue ardua secundis successibus irutos , quos amabilis comitas , ab omni fuso aliena , & adeuntibus

T.  
Xauerij ortus ,  
educatio , in-  
stibes , studia  
litterarum.

A. tibus.

2. *De Vita & gestis S. Franc. Xauerij,*

tibus commendabat, ut facili nexu statim illos sibi obstringeret, dumtaxat ea lege, nequid minus honestum eorum amicitia oleret (celsum est metum suo quodam instinctu ab ijs abhorrente, qua spirant aliquid minus castum) hinc ille pudoris illibati candor purissimus quem a cunabulis, ad usque supremum spiritum, sincerum seruauit. fuit demum prouidentiae singularis, quod aliqui animoso inesset vehemens ad scientias impetus, cum maiorum exemplo rapi fratres ad arma cerneret. Prima parentum institutione, vereti Deum pra omnibus, Dei offensam odisse prae omnibus didicit, ex quo factum ut inde ab teneris (ita diserte Pontifices) coram Deo perfecte ambularet, adultum parentes, velificati ipsius genio, & spebus rei domesticae, quas iam tum optimas de se dabat, Parisios mittunt, vbi tunc Europae totius celeberrimum ad literas omnes emporium: illic post felicem studiorum decursum, Doctoris Philosophi lauream Martij 15. tulit, anno 1530. Exin facta nobilitatis suae fide legitima, Philosophiae Magister creatus, illam publice docuit.

2. Sed enim longe excellentiora Xauerio suo parabat Deus, quam ipse

tunc, atque ipsius parentes; & priuatas iuuenient rationes, vnde regnorum, Parisiensem scholam potentium, in eum delectum, iam cum tacite dispensabat quem erat illic ad Societatem conscribendam factus

Copuersio, ar-  
dor, vita X-  
auerij ante in-  
duciam missio-  
em.  
Ignatius; qui & ipse tunc ab aduersantibus Hispania pulsus, sedem conficiendis studiis quietam captarat Parisiis. Huic vero nec breui, nec paruo Xauerius stetit; cuius, & Fabri contubernio in Collegio S. Barbarae vtebatur, (agitque Deo Faber suo quodam diario, contubernij huius immensas gratias:) illa Ignatij, humilis species, neglectus fui, obsoleta vestis, mendicatus in diem ostiatum victus, ille praeceteris, honorum, famaque contemptus, ab eo validè alienabant Xauerium, vni tunc inani gloriola inhiante; huic Ignatius sermè pro stolido, angusti peccatoris, & vilis animæ, erat despectui, & ioco; dicebatque in eum dicta non dissimulanter, velut idoneum quem falsè luderet. Quod imperturbata patientia eludens Ignatius, haec in se iacta dicteria & sarcasmos, pro jacantis salute repræsentabat quidem Deo, sed eius interim animum valida interdum impressione quatiebat, ea vi verborum, ac desiderij, qua tantam indolem, tantique ad Dei gloriam momenti, ardebat Deo subiugare; certus nimis, si semel in eam penetraret radius tenuis aeternæ lucis, perspecturam temporaria decora quæ tantopere deperibat, quam nihil essent praemansuris, quorum ipsi premium ignoratio deterebat. Nec diu pependit aggressionis crebra secundus exitus; iteratis illi ex Euangeli, incluctabilis Veri Bonique effatis, fusaque pro illo apud Deum, copia lacrimarum, expugnauit tantam illam mentem saecularibus stipendiis celstrom, sibique Xauerium in Crucis Philosophia, quam prius ignotans spreuerat, non modo conciliauit discipulum, sed sequacem & imitatorem, iisdemque consiliis excolendæ Christo Palæstinæ, sudores, & sanguinem daturum.

3. Quare